M. A Gordon

DISPVTATIONES THEOLOGICÆ, DVÆ, HABITÆ IN IN-CLYTA ABERDONENSI ACADEMIA IN MAGNO AVDITORIO COLLEGII REGII MENSE FEBRVARIO ANNO 1620.

491. d. 16
2

Pro publica SS. Theologiæ professione.

Respondente

IOANNE FORBESIO.

EDINBVRGI,
Excudebat Andreas Hart.
ANNO 1620.

Quod fælix fauſtumque ſit.

PLacuit benigniſsimo luminum Patri eam mentem clementer inſpirare reverendiſsimo in Chriſto Patri Patricio Dei miſeratione Epiſcopo Aberdonenſi reliquísque reverendis Eccleſiarum ejuſdem diœceſeos Paſtoribus in nomine Domini legitimè congregatis, vt prudenti domus Dei zelo accenſi ſtatuerint, cum Deo, ſacrarum literarum profeſſorem in inclyta Aberdonenſi Academia ſtipendio alere liberali, nulli ſumptui, nulli parcentes labori, imo poſthabita rei familiaris non illicita alioqui cura, in id unum pro virili incumbentes vt incorrupta veritas, & , quæ abſque iſta conſiſtere nequit, ſolida pietas in Eccleſia retineatur, & adverſus contradicentium impoſturas invictà defendatur. Itaque amanter & ſeriò invitant omnes & ſingulos ſeriò in hoc genere eruditos ut explorationi pro Cathedræ huius aditione inſtituendæ vel ſe ſubmittant vel interſint in Academia Aberdonenſi ad diem 17. Februarij, anni à Virginis partu ſupra milleſimum ſexcenteſimi vigeſimi.

P. P. typis evulgatum & locis celebrioribus affixum in Academijs & præcipuis vrbibus Scotiæ, menſe Decembri, an. 1619.

BRITISH MUSEUM

DISPVTATIO THEOLOGICA.

De Libero Arbitrio.

THESIS I.

IEBRVM ARBITRIVM prout in controversia contra elatos ejus assertores à Christianis doctoribus usurpatur, est naturæ intelligentis & quidem humanæ potentia electiva seu προαιρετικὴ, qua homo, apprehenso per rationem fine quem naturaliter absq; ulla proæresi sed & absque coactione constanter vult, media ab intellectu proposita potest libere eligere vel respuere sive simpliciter, sive habito delectu. Adeo vt Liberum arbitrium nihil sit aliud quàm Voluntas rationalis relata ad media. Potest ista descriptio extendi etiam ad liberum arbitrium Angelorum, pro natura humana substituendo Angelicam, & pro homine Angelum. Quin & increato arbitrio eminenter & reverenter accommodatur; ita tamen vt in Deo nulla esse volendi aut eligendi potentia intelligatur, quæ ab impartibili & imcomprehensibili, ipsius essentia distinguatur.

II Fateor apud Veteres sæpe in hac quæstione occurrere instantias de fine, quem etsi volumus necessariò, non ideo tamen non liberè appeti tradiderunt. Nemo tamen unquam hæreticorum de appetitione finis determinata dubitavit. Et illæ instantiæ à sanctis viris propterea allatæ, ut inde evince-

rent,

rent, & rectè quidem, non ſtatim perimi voluntatis naturalem libertatem, etiamſi comitem aliquando habeat neceſsitatem.

III Arbitrium propter rationem dicitur, cujus eſt diſcernere; liberum propter voluntatem. Neque tamen compoſita eſt potentia, cum actum habeat determinatum nempe electionem, licet plurium potentiarum virtutem colligat, habens libertatem de ſuo, iudicium autem tantummodo virtualiter, ut loquuntur, & quaſi participative, quatenus potentia eſt rationalis, nec à ratione quam ſemper præſupponit, cujusque eſt propriè judicare, unquam avellitur, vſque adeo vt ſi etiam exorbitet non tamen ſine ratione inſaniat. Appetitus enim rationalis non eſt abſque apprehenſione rationis.

Appendix ad theſ. 3.

Bernardus libro de grat. & lib. arb. ſcribit, Voluntatem, non quidem ſemper ex ratione, nunquam tamen ſine ratione moueri; ut multa faciat per eam contra eam.

Ejuſdem ibidem iſta ſunt verba. Ipſe (Conſenſus voluntarius) *liber ſui propter voluntatem, ipſe judex ſui propter rationem.*

Item iſta: *Liberum referatur ad voluntatem, Arbitrium ad rationem. Vide Lombardum lib. 2. diſt. 24. & ibidem Thomam Aquinatem.*

IV Libertas voluntatis alia eſt naturalis & inſeparabilis, nempe libertas à neceſsitate coactionis; alia ſeparabilis, non quaſi ſemper amitti poſsit, ſed quia adeſſe vel abeſſe poteſt manente voluntate; ea eſt vel gratioſa, à ſervitute peccati, vel glorioſa, à miſeria; vtraque in hac vita inchoatur; iſta juſtificatione & exemptione à lege, illa (nempe gratioſa) renovatione & ſanctificatione totius hominis; vtraque in futura vita conſummatur. Eſt & alia quædam impropriè dicta libertas, quæ eſt ad malum, eaque aut cum libertate, quæ ad bonum dicitur conſiſtens, vt in primo homine ante lapſum, & aliquo etiam modo in homine regenito quidem at nondum ad plenam perfectionem perducto; aut damnabili & libertati ad bonum oppoſitæ ſervituti adjuncta, quæ Apoſtolo

ſtolo libertas à juſticia dicitur, nempe quando peccati ſervum delectat peccare, quamvis aliquo modo reclamante ratione; liberaliter enim ſervit qui ſui Domini voluntatem libenter facit; ac per hoc ad peccandum liber eſt, qui peccati ſervus eſt. Sicut etiam ex altera parte qui è poteſtate eſt erutus tenebrarum & juſtitiæ mancipatus, liber eſt ad bonum, etiamſi ad malum flecti nec velit nec poſsit, ut in ſtatu beatitudinis, præceptum enim liber facit qui libens facit; tantòque liberior quanto à ſervitute peccati longius abſiſtit. Vnde ſi diligenter inſpiciatur (vt rectè ſcribit Lombardus lib. 2, diſt. 25.) liberum videbitur dici arbitrium quia ſine coactione & neceſsitate (*id eſt coactionis neceſsitate ſive cogente neceſsitate*) valet appetere vel eligere quod ex ratione decreverit.

Appendix ad theſin quartam.

Liberum arbitrium dicitur ex eo quod cogi non poteſt. Hoc eſt naturale & eſſentiale libero arbitrio ut ſufficienter non cogatur coactione compellente. Et hoc ſequitur ipſum in quolibet ſtatu vnde non augetur talis libertas nec diminuitur per ſe. &c. Thom. Aquin. in lib. 2. Sententiarum diſt. 25.

Coactio alia eſt perfecta & ſufficiens quæ compulſio dicitur, alia imperfecta & inſufficiens quæ dicitur impulſio. Libertas arbitrij in ſui ratione & per ſe & ſemper includit negationem compulſionis. Libertas autem ab impellentibus & diſponentibus non eſt arbitrio eſſentialis, poteſt enim augeri, minui, acquiri, amitti. Idem ibidem.

Coactio compellens aut violenta eſt, aut non violenta aſt naturalis, hæc autem eſt ſubiectiva vt ita loquar, vt quando compulſo organo facultas illi affixa compellitur, aut objectiva, quæ rurſum vel bruta eſt aut rationalis; illa per quam τὰ ἀλογα ζῶα libera voluntatis arbitrio deſtituta, ſenſu aguntur, feruntur impetu, rapiuntur appetitu; per iſtam autem intellectus cogitur vi demonſtrationis. Iam autem liberum arbitrium à mediis non cogitur coactione violenta, aut bruta, ſed neque rationali illa qualiter intellectus à demonſtratione, quamdiu ſub nuda mediorum ratione obijciuntur, neque induunt rationem finis. Sin autem rationem finis induant, ſaltem participativè nimirum per evidentiſſimam, infallibilem, neceſſariam, naturalem connexionem cum fine, tum cogunt quidem aliquo modo ſeu potius neceſſitate quadam trahunt voluntatem ad aſſentiendum non

ſecus

secus ac ipse finis, sicuti conclusio demonstrata vim consequitur principij & cogit intellectum, non tamen tollunt libertatem voluntatis naturalem, quæ est à coactione violenta item à coactione bruta quæ vulgo physica necessitas dicitur. Hæc est doctrina Thomæ in 2. sent. dist. 25. quam vt sanam sequimur.

Alia appendix ad Thesin quartam.

Bernard. de grat. & lib. arb. Cum igitur prout interim potuit occurrere, triplex sit nobis proposita libertas, à peccato, à miseria, à necessitate; hanc vltimo loco positam contulit nobis in conditione natura; in prima restauramur à gratia; media nobis reservatur in patria. Dicatur igitur prima libertas naturæ; secunda gratiæ; tertia vitæ vel gloriæ. Ex prima præstamus cæteris animantibus, in secunda carnem per tertiam mortem subijcimus. Videre est ibidem plura de hac distinctione; quam repetit Lomb. lib. 2. dist. 25. Augustinus ad Bon. contra duas epistolas Pelagianorum lib. 1. cap. 2. Liberi à iustitia non sunt nisi arbitrio voluntatis; liberi autem à peccato non fiunt nisi gratia salvatoris. vide ibidem plura.

Lombardus lib. 2. dist. 25. ante gratiam libera est voluntas ad malum, per gratiam verò libera fit ad bonum.

V Libertas ab omni necessitate non est voluntati necessaria. Nam voluntas humana (ut de ea tantùm loquamur) propter dependentiam à superiore, & divinam providentiam, in omni statu, & propter peccati servitutem in statu peccati, & propter vocationis & donorum Dei τὸ ἀμεταμέλητον in statu gratiæ, & propter gratiæ consummationem absorpta & consumpta penitus infirmitate, in statu gloriæ, habet aliquam necessitatem, quę tamen non tollit libertatem.

VI Manente in omni statu libertate voluntatis naturali & inseparabili quæ est à coactione; habebat homo integer ante lapsum libertatem ad omne bonum, verùm non ita erat mancipij nexu iustitiæ addictus, vt non posset peccare etiam ad mortem, ac proinde liber etiam erat ad malum, adeo ut, sicut in gratia collata permanere poterat si vellet, ita eandem deserere posset si vellet; & alterutrum velle penes ipsum erat.

VII Sed homo libertate malè usus eam amisit, non jam liber

liber ă peccato & miseria, præcipitato in miseram peccati servitutem arbitrio. Adeo vt post lapsum per liberum arbitrium peccet nec possit non peccare: adeóque neque gratiam mereri, neque ad eam se disponere, neque suis viribus resurgere. Imo neque ullum opus moraliter bonum quod nulla peccati labe inquinatum sit perficere.

VIII Neque ullam habet potentiam ad recipiendam gratiam nisi materialem id est merè passivam; qualem lapis ad mollitiem, mortuus ad vitam, preputium ad circumcisionem. &c.

Appendix ad thesin 8.

Natura humana se habet in potentia materiali ad gratiam. Thom. Aquin. in 2. sent. dist. 28. in Responsione ad quartum quæsitum. Hanc Lombardus aptitudinem naturalem vocat. lib. 2. dist. 28. Thomas etiam receptibilitatem gratiæ in 2. sent. dist. 26. quæst. 2. ad secundum. Hæc adferimus propter Pontificios, non quod nostram Theologiam è Scholasticorum lacunis hauriamus. Thesin enim istam ipsa scriptura diuina & similia inde deprompta atque ipsi Thesi inserta abundè probant.

IX Vnde homo in prima reparatione rectè & sano sensu dicitur se habere merè passivè. Nam si quid agit, id est ex gratia, quæ nihil agenti, sed habenti se merè passivè (quantum ad supernaturale bonum) inspirata est. Vnde istam primam gratiam meritò operantem veteres nominaverunt, non cooperantem, qua Deus sine nobis operatur in nobis vt velimus, id est inspirat bonæ voluntatis affectum. Hanc gratiam Lombardus & eum secuti Scholastici, ex Augustino etiam prævenientem nuncupant.

X Non tamen ut brutum quid, neque enthusiastico aut fanatico raptu renovamur, nobis neque intelligentibus, neque propriè volentibus, sed per efficacem mutationem intellectus & voluntatis &c. Adeo vt & intelligamus & velimus; quę actiones sunt; ipsa autem mutatio voluntatis non nisi soli Deo adscribenda, qui in nobis operatur & velle & perficere. Velle actio nostra, sed facere vt velimus actio solius Dei est. Facimus nos sed Dei solius est facere vt faciamus. Ezech. 36. 27. *Gnathi ath asher gnasithem.*

XI Quod ergo aliquis vocatur & ita vocatur vt convertatur, ſolius Dei eſt ſola ac merè gratuita miſericordia, qui ſolus nos diſcernit; quod alii relinquuntur, irreprehenſibilis juſtitia eſt. Quia enim vniverſa iſta maſſa meritò damnata eſt propter prævaricationem primi hominis, in quo natura fuit communis, ac proinde poſterorum naturaliter proſeminatorum nemo ab ejus culpa eſt immunis, contumeliam debitam reddit iuſtitia, honorem indebitum gratia, non meriti ſeu voluntatis humanæ prærogativa, non fati neceſsitate, non temeritate fortunæ; ſed altitudine divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei quàm non aperit, ſed clauſam miratur Apoſtolus clamans, O altitudo divitiarum &c. Hæc enim tam profunda Dei iudicia omnem ſcrutatorem fatigant. *Mishpatecha tehom rabbah.* Pſal. 36,7.

XII Operatur Deus in nobis etſi non ſine ſuaſione morali, non tamen duntaxat per eam: ſive intelligas eam quæ fit lege ac doctrina inſonante foris ecus, ſive eam quæ fit ſpirituali colluſtratione inviſante intrinſecus, ſed DIVINO quodam & arcano modo in ipſam etiam agit voluntatem, non ſolùm mediante lumine intellectus, ſed & immediatè ipſam voluntatem (quam Bellarminus agnoſcit magis eſſe corruptam quàm ſit ratio, de grat. & lib. arb. lib. 6. cap. 8.) mirabili ac ineffabili ſuavitate potenter inflectens, κατὰ τὴν δύναμιν τὴν ἐνεργοῦσαν ἐν ἡμῖν. Eph. 3. 20. Vt intellectui illuminato aſſentiatur, eundemque hæſitantem captivum tradat ad obediendum Chriſto. Et ſic ſalvus manet uſus hortationum, correptionum &c. Tanquam organorum Dei, unde & verbi diſpenſatores συνεργοὶ Dei appellantur, fides enim per auditum &c. Licet ſolus Deus det incrementum.

Appendix ad theſin 12.

Modum operationis Dei in noſtram voluntatem ad eam renovandam non merè moralem, at neque phyſicum eſſe agnoſcimus (niſi forte phyſicum intelligas ad modum φυσικῶς hoc eſt cum certitudine efficitus & infallibilitate eventus) ſed malui cum Auguſtino (lib. de gratia Chriſti contra Pel. & Cæl. cap. 14.) Divinum nuncupare, quem Synodus Dordrechtana eodem ſenſu vocat ſupernaturalem. Porro DIVINO

hoc

hoc & ſupernaturali modo operatur & agit in voluntatem noſtram Deus, non ſolum mediante intellectus lumine, ſed etiam immediatè, *quod bis adductus rationibus aſſerere non dubitavi.* 1. *Voluntas ſuam propriam habet corruptionem, eámque maiorem quàm eſt corruptio intellectus, alioqui nemo voluntatem Domini cognoſcens nollet facere.* 2. *Voluntatem etiam non corruptam intellectus non trahit infallibiliter niſi apprehenſo & voluntati oblato obiecto ſub perfecta ratione boni absq; vlla admiſta aut adiuncta ſpecie aut apparentia mali, (quod ex lapſu Angelorum & hominum manifeſtè evincitur.) Multo minus voluntatem corruptam. Talis autem apprehenſio non contingit nobis in hac vita quamdiu ex parte tantum cognoſcimus vt loquitur Apoſtolus* 3. *Regeneratio hominis non ſolum apertione mentis* Luc. 24. *ſed etiam apertione cordis* Act. 16. *conſtat. Neque ſolum aperiuntur oculi mentis & lux infunditur, ſed ipſum etiam cor refingitur atque amor Dei* Deut. 30. 6. *& caſtus timor inditur, isque adeo vividus adeo conſtans vt Deo* ἀπριβάσῃ *& adhaereat.* Ierem. 32. 40. Ezech. 36. 26, 27. *atque haec eſt illa regeneratio, nova creatio, ſuſcitatio è mortuis, & vivificatio cordis lapidei evulſio carneique donatio &c.* 4. *Hoc tanta molis opus non efficitur ſolis hortationibus, comminationibus &c. ſed accedit valida Spiritus ſancti operatio, & efficax virtus* Epheſ. 3. 16, 20. τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως αὐτοῦ εἰς ἡμᾶς τοὺς πιστεύοντας, κ᾽ ὅτι ἀνεκρὸν ἔστι παρεστῶμαι συνζωοποίησε τῷ Χριστῷ, καὶ τὸ ἐνέργημα τῷ κράτους ἰσχύος αὐτοῦ ἧς ἐνήργησεν ἐν τῷ Χριστῷ ἐγείρας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν, *&c.* Epheſ. cap. 1. verſ. 19. & cap. 2. verſib. 1. & 5. & rurſum cap. verſib. 19. & 20. &c. *Videatur idem Apoſtolus ad* Epheſ. 6. 10. & ad Coloſſ. 1. 11.

XIII Neque in hoc opere ulla eſt ſufficiens ad converſionem gratia (ſive ea electis ſive etiam non electis dicatur offerri vel conferri) quæ non ſit efficax & efficiens. Quicunque enim ad Chriſtum venire poteſt, is certò venit, quippe tractus à Patre, qui hominum corda intus tenens, eos voluntatibus eorum, quas ipſe per gratiam in illis operatus eſt, trahit, ita vt certo ſequantur, non nolentes, ſed ex nolentibus facti volentes.

Appendix ad theſin 13.

Illetrahitur ad Chriſtum cui datur vt credat in Chriſtum. inquit Auguſtinus ad Bonif. contra duas epiſtolas Pelagianorum lib. 1. cap. 3.

Vide ibidem cap. 19 & de corrept. & grat. cap. 14. quibus in locis scribit de potenti illa ac paterna tractione de qua loquitur Dominus apud Ioannem cap 6.

XIIII Posset Deus omnium hominum corrigere voluntates, quippe habens humanorum cordium quocunque vult inclinandorum omnipotentissimam potestatem, sed non facit quia non vult, cujus æquissimæ & occultissimæ voluntatis scrutator caveat præcipitium.

Appendix ad thesin 14.

PROSPER *hoc ipsum tractans argumentum in libro responsionum ad capitula Gallorum cap. 8. impossibile est* (inquit) *comprehendere, & periculosæ curiositatis est quærere, cum tamen, quod nulla sit apud Deum iniquitas nemini liceat ignorare.* Hæc ille.

XV Quos Deus opulentissimæ suæ gratiæ efficacitate ad Filium semel traxit, eis perseverantiam ejusdem gratiæ largitate donat, id est, subsequentem, concomitantem, cooperantem gratiam gratiæ operanti superaddit, & perpetuo tenore ita opus à se inchoatum persequitur, ut neque unquam deleri prorsus sinat, neque relinquat imperfectum, quia fidelis est, neque potest quispiam oves Christi pastoris & paracleti nostri de manu ejus rapere. Ideo enim (rectè ait Bellarminus lib. 1. de gr. & lib. arb. cap. 11.) non rapiet eas quisquam de manu eius, quia dabit illis gratiam efficacem, per quam infallibiliter convertantur, & in finem vsque perseverent.

XVI Quod etsi donum est gratiæ Dei singularis, non solùm, quale primo homini collatum, quo possint perseverare si velint, sed etiam quo volunt & non nisi perseverantes sunt; neque hîc tamen corrumpitur vera voluntatis libertas, sed retinetur, provehitur, perficitur; manente naturali libertate, regnante & proficiente gratiosa, appropinquante indies complemento etiam gloriosæ.

XVII Non destrui libertatem naturalem voluntatis adeòque ipsam voluntatem, etiamsi jam regenita non possit peccare ad mortem, inde patet, quod sicut Deus facit venire volentes, ita non nolentes, sed volentes perseverare. Quam tamen

tamen bonam voluntatem ipse inspiravit, fovet, conservat, confirmat, adauget, consummat. Dat ipse suis secundum propositum vocatis, vt perseverent, delectabilem perpetuitatem & insuperabilem fortitudinem, adeo vt seduci non possint, neque portæ inferorum contra eos prævaleant: virtute enim Dei seruati volent perseverare, & volentes perseverabunt. Neque aliud pro Petro rogavit Christus rogans ne fides ejus deficeret, nisi vt haberet Petrus in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem.

Conclusio. Atque ita secundùm gratiam Dei, non contra eam libertas asseritur voluntatis.

Appendix de hæresibus circa liberum arbitrium.

THomas Aquinas in 2. lib. sent. dist. 28. resp. ad qu. 1. ita scribit; Cum virtus essentiam consequatur, oportet quod secundum diversitatem naturarum sit diversa facultas ad operandum: quod quidam non attendentes, pari modo operationem liberi arbitrij & rerum naturalium determinaverunt, credentes quod sicut lapis de necessitate suam operationem habet ut eat deorsum nisi aliquid impediat, ita etiam homo necessario suas operationes exerceat secundum congruentiam alicujus naturæ in ipso existentis: & quia in homine consideratur duplex natura, una scilicet intellectualis, ex qua inest homini inclinatio ad appetendum per se desiderabilia & honesta; & altera sensualis, secundum quam pronus est ad appetendum & ad concupiscendum ea quæ sunt delectabilia secundum sensum; ideo ad hæc duo respicientes hæretici contrarias hæreses ex eadem radice prodeuntes confecerunt: quorum quidam, scilicet Iovinian i (Iovinianista Aug.) attendentes ad intellectualem naturam hominem de necessitate bene operari, & nunquam posse peccare asserebant. Alij verò, scilicet. Manichai respicientes ad naturam sensibilem, quam secundum se malam esse dicebant, & à malo Deo originem habuisse, dixerunt quod homo de necessitate peccat, nec bonum facere potest. In hoc penitus liberum arbitrium utrique destruentes. non enim &c. Et ideo alij naturam liberi arbitrij salvare volentes, in alium errorem prolapsi sunt, scilicet

licet Pelagiani facultatem liberi arbitrij ampliantes. Dicunt enim &c. *Hactenus Thomas.*

Author Hypognosticon (tom 7. oper. Aug.) lib. 3. Est igitur liberum arbitrium, quod quisquis esse negaverit, Catholicus non est: & quisquis sic esse dixerit, quod sine Deo bonum opus, id est, quod ad ejus sanctum propositum pertinet, nec incipere nec perficere possit, Catholicus est.

Augustinus contra duas epistolas Pelagianorum ad Bonifacium lib. 1. cap. 4. Hoc isti nolunt elati & superbi, nec purgando defensores, sed extollendo præcipitatores liberi arbitrij. qui non ob aliud nobis hac dicentibus indignantur, nisi quia gloriari in Domino dedignantur.

SEQVI-

SEQVITVR DISPVTATIO DE SACRAMENTIS IN GENERE.

In Specie de Eucharistia.

THESIS I.

SAcra illa signa & sigilla fœderi Dei gratuito annexa, quæ vsus obtinuit ut Sacramenta & quidem strictiore quadam hujus vocabuli acceptione dicantur, eum in finem à Deo ipso instituta sunt, & expresso ex ipsius sacratissimo ore mandato, universæ Ecclesiæ singulisque ejus membris, non per naturam aut propter exiguos gratiæ progressus incapacibus injuncta, ut fœdus illud seu rem fœdere compræhensam; id est benedictionem in semine illo olim promisso, tandèmque in temporis plenitudine in mundum misso adeòque strictissimam unionem plenissimàmque communionem cum illo semine & in ipso cum adoranda Trinitate, repræsentent, exhibeant, obsignent omnibus fœderatis id est conditione fœderis non destitutis. Ac propterea adjunctam semper habent promissionem & pręviam institutionem (saltem parentum propter quorum fidem infantes baptizantur.) Hinc facile est definire quid sit Sacramentum.

II Ea est Sacramentorum natura, ut in quo nihil gratiæ aut quem in nulla gratia inveniunt, eidem nullam conferant ex opere vt loquuntur operato; in quo autem gratiam aut quem in gratia inveniunt, eandem illi obsignent, confirment novòque provehant & cumulent incremento. Fœderatis fœdus obsignant & hoc est effectum proprium Sacramentorum: impropriè verò & per accidens obsignant iudicium sive etiam iudicij meritum, nempe impietatem & improbitatem quam inveniunt in profanis eorum vsurpatoribus. Vnde non immeritò tremenda mysteria dici possunt.

III In Sacramentis attendendum non quod sunt sed potius quod signa sunt & sigilla sunt, atque ex Divino pacto potentia gratiæ organa, absque physica efficientia aut alligata ipsis elementis virtute, cum expressa similitudine seu analogia ad rem significatam & obsignatam & suo modo collatam divinitus instituta; si enim Sacramenta similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent.

IV Ex hac autem similitudine plerunque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt, unde circumcisio fœdus agnus Paschalis Pascha seu *Pesah*, Baptismus lavacrum regenerationis, Sacramentum corporis Christi corpus Christi & Sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi appellatur & secundum quendam modum est.

V Quo diligentius cavendum nobis est, ne quæ spiritualiter discernenda sunt, ea per sensus nostri hebetudinem confundamus, cœlum terræ miscentes absit à Christianis mentibus ista servitus; namque ea demum est miserabilis animæ servitus signa pro rebus accipere & supra creaturam corpoream oculum mentis ad hauriendum æternum lumen levare non posse.

VI Neque tamen extenuanda nimis aut enervanda vis Sacramentorum, quæ Deus noluit esse inania, nec sine magno fructu voluit vsurpari à suis fœderatis, ac proinde non in alium sunt ordinem redigēda quàm in quo divina institutione collocata esse iam diximus. Vt enim signa pro rebus quę eis

signifi-

significantur accipere, servilis infirmitatis est, ita inutiliter signa interpretari, malè vagantis erroris est.

VII Pro ratione dispensationis fœderis gratuiti & admirandi illius mysterij in ipso comprehensi, signa etiam variata sunt; & ipse Sol iustitiæ mundo exortus, cessare iussis veteribus, instituit nova, significatione angustiora, ac proinde etiam virtute præstantiora; succedente circumcisioni baptismo, Agno Paschali cœna Dominica. Neque aliud in novo Testamento legimus à Domino institutum. Et toti Ecclesiæ Christianæ injunctum Sacramentum, preter ista duo, quæ non prorsus aliam gratiam, neque prorsus aliud fœdus aliùmve fœderis mediatorem significant exhibèntve aut obsignant quàm illa vetera; sed eandem gratiam, idem quoad substantiam fœdus eundem mediatorem, licet vberius ac luculentius.

VIII In altero Novi Testamenti Sacramento, quod cœnæ Dominicæ nomine cum Apostolo intelligimus, habemus μνημόσυνον mortis Christi pro nobis, quam ipsis oculis tangendìque instrumentis veluti verbo quodam visibili & palpabili annunciat & repræsentat; & certa minimèq; fallacia pignora communionis corporis ac sanguinis Domini, quam fide ipsi incorporati unùmque cum ipso imo unus in ipso facti habemus, adeo ut iure nobis donato dicere possimus nostrum corpus & unusquisque fidelium suum corpus illud esse, quod oli n fractum est & nunc sedet in cœlo glorioſum, & suum illum sanguinem qui fusus est. Neque enim secundus ille Adam Iesus Christus sibi peculiare voluit habere corpus, in quo nihil nobis iuris esset, sed nobis commune esse voluit. Qua communione atque adeo ipso corpore & sanguine Servatoris tanquam alimento præstantissimo & suavissimo vivificantur & ineffabili lætitia perfunduntur nostræ animæ, non secus ac pane & vino lassa ac fame sitìque fatiscentia corpora refocillantur.

IX Etsi simile etiam fictum atque imaginarium sæpe locum habet in dialecticis rationibus, nullum tamen pignus vel signaculum imaginarium valet in fœderibus realibus

ſanciendis. Proinde Pontificij panem neſcio quo faceſcere jubentes, ipſum etiam exulare faciunt Sacramentum.

X Analogia Sacramentalis poſtulat ut non idem (ne ſpecie quidem) ſed ſimilis ſit modus perceptionis Sacramenti, & perceptionis rei Sacramenti. Certè propriè loquendo, alimenta, alenda, modìque percipiendi & modi alendi, tam ſunt diverſa, quàm ſunt vita iſta corporum caduca, & vitæ ſpiritualis animæ ſempiterna: neque eo, quod corporali modo os ingreditur, alitur anima niſi relativè ſeu ſacramentaliter, propriè autem eo alitur corpus, anima verò propriè ſeu per realem participationem alitur re Sacramenti, ad quam Sacramentum relationem habet.

XI Tanta tamque incomparabilis & ineffabilis Dei benignitas poſtulat à nobis omnia gratitudinis officia, corporumque noſtrorum (non ſecluſa anima debet enim eſſe λογικὴ λατρεῖα) oblationem & mactationem ſpiritualem; αἰνέσεος, εὐποιίας καὶ κοινωνίας ſacrificia Euchariſtica. Quæ efferre tenentur omnes & ſinguli Chriſtiani, facti in hunc finem ἱεράτευμα ἅγιον. At verò agnus ille Dei, ſemel mactatus, nunc vivens in ſecula ſeculorum à ſeipſo ſolo offerri potuit, non iterum mactandus, neque à quoquam offerendus in hoſtiam vel hilaſticam vel euchariſticam.

XII Neque in hoc Sacramento ulla fit Deo nova Chriſti oblatio, ſed oblati ſemel ſacrificij animabus ad Chriſtum anhelantibus, eùmque, ut Cervus aquas, ſitientibus, applicatio; & grata ejuſdem commemoratio.

Ad Lecto-

Ad Lectorem.

LAtiorem & accuratiorem Theſium utriuſquē iſtius diſputationis exegeſin audiverunt qui exercitationibus ipſis ſcholaſticis interfuerunt: eam hoc loco haud duximus neceſſariam; præſertim quando non tam docemus quàm eius quæ in nobis eſt fidei reddimus rationem. Vſus ſum libenter in his Theſibus paſsim Patrum & Scholaſticorum, præcipuè Auguſtini (quem Bernardus meritò vocat validiſsimum malleum hæreticorum) & Lombardi ac Thomæ verbis, loca tamen ſingula non annotavi, ne humana duntaxat authoritate niti noſtra ſententia videretur. In exegeſibus tamen loca ipſa monſtravi. Si quid eſt in iſtis diſputationibus quod viri eruditi & graves aut non ſcriptum aut aliter ſcriptum optarent, invenient me docilem, & vinci verò potiùs quàm vincere verum vnicè in votis habentem. Scias etiam velim quicquid huius præſtiti, id à me non meo voto aut iudicio ſed Eccleſiæ iuſſu & imperio eſſe ſuſceptum. Neque arrogantiæ meæ ſed obedientiæ eſſe tribuendum quod huic me tam periculoſo circo includi paſſus ſim. Quo te æquiorem fore confido candide Lector. Vale.

SEQVITVR ISTARVM DISPVTATIONVM, ALIARVMQVE IOANNIS FORBESII EXERCITATIONVM APPROBATIO SYnodica, ejusdemque ad publicam SS. Theologiæ professionem Solennis vocatio atque ordinatio ex ipsis Synodi Aberdonensis actis fideliter deprompta.

SYNODVS DIOECESEOS ABERDONENSIS HABITA ABERDONIAE IN NOVO TEMPLO PATRICIO EPISCOPO ABERDONENSI PRAESIDE.

SESSIONE SEXTA.

DIE 27. APRILIS, POST MERIDIEM, ANNO 1620.

HAC SESSIONE IOANNES FORBESIVS SECVNDVS FILIVS LEGITIMVS REVERENDI IN DOMINO PATRIS Patricij Episcopi Aberdonensis & verbi Dei Ministeri, publicus SS. Theologiæ Professor declaratus est. Negotij vero huius decursus ita se habuit.

CVM Ioannem memoratum, & Episcopus Aberdonensis quà rogatu, quà authoritate, & fratres alii quibus hæc cùra demandata diu multumque solicitassent vt ad publicam SS. Theologiæ professionem, prævijs aliquot progymnasmatis se expediret, ægrèque tàndem eo esset inductus; de variis Theologiæ articulis à Dn. Gulielmo Forbesio SS. Theologiæ D. & facultatis Decano propositis subinde & quidem publicè disseruit. Quin & inde præmissas Theses Theologicas in solenni doctorum hominum concessu contra oppugnatores quoscunque solertissime propugnavit. Vario hoc & multiplici specimine edito cum Synodus supra memorata esset coacta, die iam dicto, ante meridiem,

ridiem, coram Synodo universa docuit. Lectio verò hæc Theologica usque adeo universæ Synodo placuit, ut ea ipsa sessione ad electionem & ordinationem progredi statuerit. Vt verò adhuc certius & exploratius de rebus omnibus huc spectantibus Synodo constaret, publico martyremate (exigente illud Synodo) testatam fecit vocationem suam ad S. Ministerium in Ecclesia Middelburgensi in Zelandia, dato 4. Aprilis. Anno. 1619. stilo Gregoriano: cui venerandi aliquot pastores ita subscripserant.

Ioannes Forbesius senior, Anglicanæ Ecclesiæ quæ est Middelburgi Pastor.

Gerson Bucerus Pastor Ecclesiæ Verianæ.

Gulielmus Tellingus verbi divini minister in Ecclesia Christi quæ est Middelburgi.

Alexander Makduffus Ecclesiæ Scoticanæ quæ est Veriæ Pastor.

Ita attestor Enoch Sterthemius Ecclesiastes Middelburgensis.

His peractis postulat Episcopus vt fidelitatem Deo primum in munere, quod iam suscepturus esset, obeundo, inde verò Regi nostro Serenissimo, Ecclesiæ Scoticanæ, Episcopo suo ordinario, & Diœceseos Aberdonensis Synodo præstandam iureiurando obsignet. Cumque in hæc conceptis verbis iuraßet, SS. Theologiæ in Regia Academia Aberdonensi publicus professor renuntiatus est. Atque vt de stipendio certius illi prospiceretur, decretum vt postquam, ex sententia & consilio iuris consultorum maturioris iudicii, annui stipendii huic professioni destinati mortificatio (vt in re tali receptis vtamur vocabulis) fuerit efformata, Diœceseos Aberdonensis Synodus Patrem authoritate prædita Ioannem supra nominatum Præsentatione & collatione Mortificationi & Fundationi deinceps formandæ congruâ & consentaneâ muniat.

FINIS.